



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hvmanaē Salv̄tis Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In tabulam Christi prædicantis Euangelium. Ode Dicolos Tetrastrophos
XLVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam Christi prædicantis Euangelium.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS
XLVII.

PRODUCTVM populis de sapientia
Patris consilium filius incipit
Enarrare, bonus dicere & algida
 Dictis vrere pectora.
Nam qualis calido lumine ab ætheris
Alta sede humiles sol penetrat domos
Terrarum, variusq; exagitat potens
 Tentatas species modis;
Cum plumbi & chalybis grandia semina
Concrescunt validis acta vaporibus,
Sed cere faciles & teneræ niues
 Decursu fluido liquent:
Talis sermo Dei mentibus inditus,
Obdurata premens æra superbiæ,
Marcentes animos sed dociles fonet
 Vite munere prospero.
Non ceca ambitio, non amor improbius
Rerum quas studiis appetit ultimis
Vulgus, non animi luxuries capit
 Sancti commoda nuntij:
Sed quos dura hominum sollicitant malâ,
Vel vitam puduit ducere turpibus
Infectam vitiiis, vel timor obligat,
 Cura & iustitiæ tenet.
Hi (quanquam exiguum) pectore vinido
Semen concipiunt quod cumulos creat,
Queis æterna parens horrea compleat,
 Et diuinum exhilaret choros.

DIVINÆ DISCIPLIN. SCHOLA.

*Quas fugitat mundus rerū sunt cōmoda tanta?
Sic est: sed stultis non sapit ista segēs.*



SIMPLICIUM DOCTORI OPT. S.

G 2

Im